Universitätsbibliothek Paderborn

Malvm Svmmi Mali Sive De infinita grauitate peccati mortalis Libri Qvinq[ve]

Pelecyus, Johannes

Monachii, 1615

X. Homo improbus flagitiorum suorum culpam in œlum astraque cœlestia conijcit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52025

Visual Library

gelleris? ingenuũ te non peccando prębe, & ingenuè tractaberis, traherisq; funiculis aliis, ſcilicet charitatis: *Multa flagella peccatoris,* Oſ.11.4.
ſperantem autem in Domino, miſericordia circundabit. Sat ſcio te & il- Pſ.31.10.
lud obtenſurum: Phryx plagis non emendatur: ſi non emendatur? an ideo Deus iure ſuo non vtetur? ſi correctio te non iuuat, iuuabit alium, cuius etiam habēda eſt ratio. *Peſtilente flagellato,* ait *Prou.29.*
Sapiens, *ſtultus ſapientior erit.* Et: *mulctato peſtilente, ſapientior erit paruulus.*

CAPVT X.

Homo conſceleratus flagitiorum ſuorũ culpam in cœlum, aſtraq; cœleſtia reycit.

PRæfractè hactenus & impiè peccator Deum Opt. Max. flagitiorum ſuorum authorē fecit, eorundem deinceps cauſſam & originem rebus alijs aſſignat; quod

quod

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quod dum facit, Deum etiam
qui eas condidit, obſcurè licet
accuſat. In ijs primas cœlo, ſide-
ribuſq; cœleſtibus tribuit. Si im-
pius id cœlo eiuſq; aſtris perſe,
& directè tribuit, communi Do-
ctorum ſententię repugnat; nul-
lum enim externum principium
(Deum ſolum excipimus) ad
voluntatis actus, adeoque pec-
catum, vel inclinationem com-
municare, vel ad illos actiuè cō-
currere poteſt. Quod ſi ad eius-
modi inclinationem, & concur-
ſum neceſſitatem quoque ad-
iungit, vt conſequenter adiun-
gere cogitur, fidei etiam religio-
nique Chriſtianæ aduerſatur;
eiuſmodi enim corpora, quem-
admodum in diuina ſcriptura
habetur, facta tantùm eſſe di-
Gen. 1. 14. cuntur, *vt ſint in tempora, & ſig-
na hominibus*; non verò vt cauſſæ eti-
am effectrices ſint humanarum
actio-

actionum. Signa autem, proba-
bilia, non item certa & neceſſa-
ria eſſe ſolent. Quod nulla item
neceſſaria ſit connexio euentuũ
humanorum, ex contingentium
aliquorũ, cum diſpoſitione cœli
aſtrorumq; cœleſtium, ex eo li-
quet, quod Eſaias tanquã vanũ ir- Cap 47. 13.
ridet ſtudiũ illorũ qui Aſtrologi-
cis diuinationib⁹ fidẽ adhibent.
Stent, inquit, *& ſaluent te augures*
cœli, qui contemplabantur ſidera, &
ſupputabant menſes, vt ex eis annun-
ciarent ventura tibi: ecce facti ſunt
quaſi ſtipula. Et Hieremias: *A ſig-* Cap. 10. 2.
nis cœli nolite metuere, quæ timent gẽ-
tes, quoniam leges populorum vanæ
ſunt. Quod de his Deus ipſemet
ſentiat, habemus apud Eſaiam in
his verbis: *Ego ſum Dominus irrita* C. 44. 25.
faciens ſigna diuinorum, & ariolos in
furorem vertens, conuertens ſapientes
retrorſum, & ſcientiam illorum ſtultã
faciens. Salomon itẽ ſcientiam fu- Eccl. 10, 14.

 turam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

turam rerũ denegat homini: *Ignorat*, inquit, *homo, quid ante ſe fuerit, & quid poſt ſe futurum ſit, quis poterit iudicare?* Et: *homo ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuntio.* Dicitur etiam apud Eſaiam: *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis;* ſcire autem poſſent Aſtrologi futura, ſi à ſideribus illa aſtriſq; cœleſtibus, ceu cauſis efficientibus neceſſariò peruenirẽt. Cum doctrina ſacrarum literarum Eccleſiæ iudicium, mirè, vt par eſt, cógruit; nullam enim inferri neceſſitatem à cœlo eiuſq; ſideribus voluntati humanæ in actionibus ſuis ſæpe definiuit. Eadẽ ſuperſtitio legibus etiam Imperatoris prohibita eſt. Si neceſſario etiam homo propter talẽ ſiderum coniunctionem atq; aſpectum peccat, vt Aſtrologi blaterant, & ratio effectricis cauſſæ demonſtrat, non erit, quo ad hoc, liber

Cap. 8. 7.

Cap. 41. 23.

l. de mal. & Mat. L. 23. 4. 5. & 7.

vituperariq; adeo non debebit, nec damnari, alioué ſupplicio affici. Aſtra igitur cœleſtia actiuè per ſe & directè non concurrunt ad peccatum hominis, illiq; ad peccandum neceſſitatem non afferunt, & conſequenter præſenſio & præuiſio illa Aſtrologica friuola, ſtulta, & impia eſt, meritoq; Aſtrologi iudiciarij odiendi, fugiendi & damnandi ſunt. Porrò licet directè, & per ſe cœlum cum aſtris peccati cauſſa effectrix non ſit, indirectè tamen, & per accidens illius cauſſa exiſtit, tum ex parte obiecti, quod aſtra quoq; ſuppeditant; tum ex parte appetitus ſentientis, in quẽ vim aliquam illa habent, adeoq; hominem ad peccandum inclinant, neceſſitatẽ tamẽ ei nullam afferunt, quin eis, ſi ſapiens ſit, dominari poteſt, & verò, ſi peccatum effugere velit, dominari quoq; debet.